



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque  
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Monitum quintum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](#)

*Monitum quintum.*

**U**Tilissimum est, tótâ die fovere affectus atq;  
in aspirationis exercitium reducere conce-  
ptus pios, quos quis habuerit in oratione matu-  
tina. Hac etenim ratione altiores agent radices,  
cumq; sèpiùs quasi masticatæ fuerint ac dige-  
stæ, in naturam transibunt. Si quis, exempli gra-  
tiâ, meditatus de horrore peccati affectu fuerit  
permotus compunctionis: hac ratione illum  
fovere, atq; in aspirationes redigere poterit.

*Fovere  
affectus  
orationis  
maturina.*

1. Quid fui, Domine? Eheu! tuus per pec-  
catum inimicus. Heu me miserum! quod adeò  
coram Deo meo abominabilis extiterim.

2. Pater peccans in cœlum & coram te, jam *Luc.15.21.*  
non sum dignus vocari filius tuus. Eheu! filii  
tui conditionem, quam tua mihi gratia con-  
cesserat, mēa ego malitiâ amisi. Saltē, Domine,  
de numero servorum tuorum me ne rejicias.

3. Deus propitius esto mihi peccatori: Do-  
mine, indignus sum, qui cœlos aspiciam, mise-  
ticordiam tamen tuam amarissimo cum dolo-  
te, quod te offenderim unquam, inclamo.

4. Utinam perversas actiones istas nunquam  
admissem! Utinam Majestati tuæ ter vene-  
randæ nunquā displicuisssem! Utinā ex præce-  
ptis tuis nullū unquā violassem! Utinā, divinis  
tuis oculis semper ut placerem, allaborasssem!

5. Agne innocentissime, qui peccata mundi  
delesti, dele ex tua memoria gravissima peccata  
illa, quæ adversum te ego admisi.

6. Permitte, Domine, ut omnia peccata  
mea in tua sanctissima conjiciam vulne-  
ra, ut illic consumantur, atque in pretio-  
sissimi sanguinis qui oceano demergantur:

Bb § ut

2011

ut nunquam in memoriam illa tibi redeant,  
ut illa castiges.

7. Non, Domine, non est hoc quod peto:  
Castiga me, puni me, prout tibi placuerit, in  
hac vita, dummodo in altera ignoscas & par-  
cas.

8. Cur mors me non abripiebat eo momen-  
to, quo ad te offendendum comparatus eram?  
Pro! quanto melius fuisset mihi perdere hanc  
vitam corpoream, quam te, ô mihi Deus, qui  
vita mea es, amittere?

9. O ineffabilem bonitatem ac patientiam,  
quae me in peccatis meis sustinuit! Quis est ini-  
nicus qui hosti suo ignoscet, ubi in suam po-  
testatem ipsum redegerit? Quid ergo te, r. hi-  
buit, quo minus in peccato me meo occideres?  
Si verò in illo statu mortuus fuisset, ubi, qua-  
so, modo essem, nisi in flammis sempiternis.

10. Heu me miserum! Ubierat intellectus,  
quod non viderim, quod mihi ipsi inferebam  
detrimentum, tibique ignominiam? Vah!  
satis est fuisse perversum ac Deo suo infide-  
lem. Nunquam amplius, Domine, nun-  
quam amplius peccare, potius mori, quam te  
offendere.

*Ps. 50. 6.* 11. *Tibi peccavi & malum coram te feci:*  
quo arrogantis impudentiae deveni: Id quod  
coram homine vel tantillæ authoritatis ausus  
non fuisset, coram te facere non erubui. Do-  
mine, qui cunctis hominibus multò es formi-  
dabilius.

12. Animum & corporis membra, quae à  
te, ut illis tibi servirem, receperam: (Eheu) ad  
te offendendum impendi. Malitias animus  
adin;

advenit, quas membra executa fuere. Eheu!  
Ignotce, Domine, secundum magnam miseri-  
cordiam tuæ amplitudinem.

13. Quoties divinis inspirationibus tuis ob-  
luctatus fui? quoties conscientiæ meæ reno-  
sus conceulcavi? quandiu in vitiis meis, haud  
secus ac bestiæ in stercore suo, computrui.  
Ignotce, Domine, ignosce, Lava me ab istis  
immunditijs meis. Faciem tuam à peccatis  
meis averte. Dele iniuitates meas, Crea in  
me cor novum. Per sacra tua vulnera mihi me-  
dere. Innocentiam, quam amisi, mihi redde.  
Concede, ut per veram pœnitentiam adeò Mae-  
jestati tuæ placere annitar, uti hactenus per  
meas præteritas abominationes displicui,

Juxta istud exemplar quivis alios formare  
poterit actus, juxta quod interius diversis con-  
tritionis affectibus permotum se senserit. At-  
que idem etiam exemplum super hoc argu-  
mento pro quibuslibet aliis servire poterit.

### *Monitum sextum.*

**U**TILISSIMUM quoque erit aspirationis exerci-  
tium sociare virtutis illius praxi, cui lepti-  
manâ aut mense illo præcipue studere habueri-  
mus: ut eâ ratione cor nostrum amplius erga  
illam afficiatur, actusque exteriores efficaciter  
animentur per interiores, quos animo conce-  
perimus. Si, verbi gratiâ, exercitium illius tem-  
poris est circa virtutem obedientiæ.

1. Luce primâ expurgando dices: Do-  
mine, quid me vis facere?

*Computuerunt  
jumenta  
in stercore  
suo.*

*Ioel. 1. 17.*

*Circa vir-  
tutem qua  
in com-  
muni pra-  
dicatur.*

*Methodus  
hac in re  
observan-  
da.*

2. Ad